

40
Philos.

1055

7

1055 12.
Favente Jesu Christo:
Disputatio Physica
De
ANIMA SENTIENTE;
Ac in Specie, de
SENSIBUS EXTERIORIBUS.

Quam,

Specatissimi Collegij Philosophici permisso,

PRÆSIDE
VIRO NOBILI ET EXCEL-
LENTISSIMO,

DN. JOHANNE GEILFUSIO,
in Alma Tubing. Academia Philo-
sopho Professore publico: Fautore ac
Præceptore perquam observando
& honorando.

Placido Philosophantium Examini subjicit,
& publicè proponit:

JOHANN-GEORGIUS KRÄMER/
RABSENSIS - AUSTRIACUS.

Idg. II. Non. Mai.

IN AUDITORIO ÆSTIVO.

T U B I N G Ä,

Typis exscribebat THEODORICUS WERLINUS, Typ.
ANNO M. DC. XLVI.



PERILLUSTRIBUS ac GENEROSIS

DOMINIS,

DN. FERDINANDO, Dn. à WELZ, L. B. in Eberstain
& Spiegelfeldt; in Heylegg / Hohenegg / Welzenegg /
Ebensfeldt / &c. Hypothecario in Ronsch / &c.

DN. FRANCISCO, Dn. à WELZ, L. B. in Eberstain
& Spiegelfeldt; in Heylegg / Hohenegg / Wel-
zenegg / Ebensfeldt / Birgenweiler / &c.

NEC NON

PERILLUSTRIBUS DOMINIS;

Equitibusq; Generosis,

DN. JUSTINIANO DOMINIS à WELZ, Liberis Baronibus,
ERNESTO, in Eberstain / & Spiegelfeldt; in Heylegg /
DN. JOHANNI- Hohenegg / Welzenegg / Ebensfeldt / &c.
FELICI Fratribus Germanis.

DN. JOHANNI-GREGORIO AMMANNO, ab Am-
mansegg; in Grotten- & Saldenhoffen &c.

DN. ADAMO SENUSIO, ab & in Seigg / & Frey-
denberg / &c.

DN. ADAMO SIGISFRIDO, de Bernerdin; in Bern-
thurn / Prägradt / Sindlingen / &c.

Dominis suis Gratiostis,

MECOENATIBUS, Primis Studiorum
PROMOTORIBUS benignissimis,
FAUTORIBUS meritissimis,
PATRONIS faventissimis, maximis.

HAS MUSAS ACADEMICAS,

*Humill. obseq. & pià gratitudine
devotissimus consecrat, d.d.d.*

Johan-Georgius Krämer Austr.
Author & Respondens.





NUMINIS
Auspicio nostris indulgeat
AUSI S.

PRO O E M I U M.

Propositio Prima.

ANIMA SENSITIVA est forma animalis, quâ sensibilium species percipere, salutaria appetere, & loco moveri potest.

§. 1. DEFINITUM nobis est *Anima Sensitiva*, prout nimirum à suo genere participat, ac secundus viventium quasi gradus seu ordo est: sumpta denominatione ab ipsis sensibus, seu sentiendo, facultate sibi competente potiori.

§. 2. GENERIS vice ponimus *Formam animalis*; quæ revera talis esse videtur: quemadmodum enim plantis sua tribuitur forma, VEGETATIVA, quâ distinguuntur ab inanimatis; sic & animalibus SENSITIVA, quâ ab inanimatis, ac ipsis secernuntur plantis. Formam verò non specificam, sed genericam, omni animali competentem intelligimus; utpote, quâ animal à non animali apertius distinguitur. *Tessibus, Arst. Conimb. Tolte. Horstio, Sennerto, alijs.*

§. 3. DESCRIPTIONEM porrò absolvimus suâ differentiâ, quæ sumitur ab *Objecto & Fine*; illud est sensibile, seu potius rerum sensibilium species: hic verò cognoscere illas ipsis, salutaria appetere, & loco moveri: quibus anima sensitiva functiones indigitantur. Primum enim anima sensitiva objecti speciem, beneficio legitimè dispositi organi, per medium conveniens, extrinsecus sibi oblatam recipit; receptam denique vel aversatur, vel appetit; & tandem corpus, quod informavit, loco moveri facit.

§. 4. Quæ operationes, quamvis non semper actu, ac omni temporis articulo, omnibus tamen animalibus, potentia saltem adscribuntur, quatenus verè sunt animalia; ac proindè & potentia tale quod est, sensitivum esse, recte cum Aristotele concludimus l. 2. d. an. c. 6. r. 52.

§. 5. Et frustra sententiam nostram à cardine suo emovere conabitur subtilitatis aliquis Magister Cardanus, affir-

affirmare quia ausus est, sensitivam & nutritivam unam eandemque esse animam: adversus quem acri ioco *Scaliger* insurget, *Exerc. 102. sett. 7.* Hominem itidem animalium numero excludendum argutius dijudicavit: de quibus videantur *libr. XI. de Hom. necessitate & forma.*

I I.

In Sensatione quatuor sunt observanda, Anima sensitiva, Organum, Objectum, Medium.

§. 1. Cum sola sentiens facultas à nobis nunc consideranda, idè quatuor hæc ad omnem sensationem necessaria primò adferemus, & sine quibus tollitur, quod & sensus, & ipsa experientia restatur.

§. 2. ANIMAM quod attinet, quum ea præcipua pars sit corporis animati, & quasi sensio[n]is effectrix, primùm consideranda venit. Residet autem in omnibus corporis partibus, & latet quasi in earundem balsamo, i. e. tenuissimâ & subtilissimâ substântiâ, ubi vis diffusa; sese exerendo, organisque mediantibus functiones edit præstantissimas, recipiendo species objecti, idque attente dijudicando. Modus in sequentibus patebit. Quæ, licet secundum essentiam toti corpori præsens sit, tamen absque certis organis, sensus alicujus author non est; hinc manus non audit, pes non videret, aures non odorantur.

§. 3. Sunt autem istiusmodi ORGANA: I. *Cerebrum*, tanquam principale sensorium, ubi anima tanquam in arce penitus insedit, ex qua, tanquam specula, hinc inde spectare potest. *Fernel. l. 5. Ph. c. 8.* II. *Membra*, oculus, auris, nasis, lingua, cutis. *Scaligero* verò, spiritus & membra similiora sensili, quasi vehicula spirituum, *Exerc. 297. sett. 3.* modò non sint vitiata.

§. 4. Quod si verò instrumenta extra usum nullo sint in pretio, ac, nî intendantur, subinde feriati videantur,

OBIECTUM, in quod ferantur, requiritur; quod est **sensibile**. Quod verò, quia latius patet, ac multas in se habet diffi-
cates, deinceps enucleabimus. Estque **color, sonus, odor, sapor,**
sæciliis qualitas.

§. 5. MEDIUM tandem, quod est intervallum, per
quod species in sensorum portetur, necessarium esse, omnes
Philosophi, in primis vero Aristoteles, lib. 2 de an. cap. XI. t. 114
c. 9 r. 48. l. 3 t. 128 expressè omnem sensum per medium sentire;
cunctaque sensibilia per medium sentiri, scribit. Quamvis
enim cuilibet sensui proprium, certis tamen modis affectum,
statuitur singulis, aëris, aqua, cutis, &c. Timpleto lib. 2. de anim.
cap. 8. thes. 24. Keckerman. lib. 2. Ph. cap. 16. in externum, & in-
ternum commodè dividit, nam quale cuiuslibet verè sit, po-
tius cum ipso Philosopho nostram ignorantiam, in apicum
proferre, non erubescimus.

III.

Facultas cognoscens (sentiens)
est vis animæ, quâ animal, integro sui
corporis organo, sensibilia, per media
commoda sibi allata percipit, atque
dijudicat.

§. 1. Hujus Thesis perspicuitas ex prædictis inclare-
scit. Potissima autem statuitur animæ vis Cognoscens, quam
cæteræ facultates verius comitantur: & habet se ad sentiens,
ut nutrix ad vitam.

§. 2. Præterea, non tantum Anima, tanquam princi-
palis corporis pars, functiones suas in cognoscendo obeat ne-
cessere est; verum etiam corpus, ejusque partes similiter ad
administrandum; imò etiam Medicinæ, ne impediatur; im-
primis autem Objectum, à quo dependent, & sensus actuau-
tur, concurrant.

IV.

Sensus & activa, & passiva potentia, certo tamen respectu, rectè dicuntur.

§. 1. Varia inter Philosophos hâc de re lis atque controversia est. Sunt enim qui peculiarem sensum introducendo, statuunt, dari quoddam agens extra objectum, quod species producat, sensorioque imprimat, ut fuerunt Sveßanus, Boccaferreus, alii, quos Zabarella lib. de s. ag. cap. 6.7. ex professo doctissimè refutavit.

§. 2. Alii concluserunt, Sensem esse tantum aliquam potentiam Activam; è quorum numero citat Jacobus Martini Valesium, disputat. 3. centur. 3. quæst. 7. Quod etiam confirmavit Timplerus 2. de animal. cap. 8. probl. 3. pag. 181.

§. 3. Sunt præterea, qui limites excedunt, meram Passivam Potentiam sensui adscribendo, à quorum partibus & ego essem, nisi eandem sententiam & veritas, & ratio oppugnaret, atque everteret; alias enim & aër, & planta, & alia inanimata sentirent, quæ & que à specie sensibili patiuntur, ut bene monet Aristotel. libr. 2. de an. text. 127. & Toletus in eund. iexum.

§. 4. Dicimus autem cum Philosopho, ac imprimis cum Zabarella, Sennerto, Martino, Horstio, aliisque doctissimi Physicis, Sensationem fieri per specierum receptionem, adeoque esse Potentiam Passivam; cum spiritus, membraque externa, oculus, auris, processus mammillares, & illas ipsas sibi imprimi patientur, objectis moveantur, atque in actum deducantur: Quatenus vero species objectorum dignoscuntur, judicantur, atque percipiuntur, sensationem agendo absolvi, sole meridiano clarius appetit.

§. 5. Sensationis modus igitur, cum AGENDO, cum PATIENDO, per unum eundemque sensum, perficitur, certo tamen cognito respectu; Recepio numerum Passione, Perceptio vero Actione.

§. 6. Duas tamen figimus cautelas, actionem immutantem, non transeuntem, & passionem salvativam, non destrucentem, hoc idco à nobis intelligi. Deinde animam pati non ratione principii, & prout causa effectrix dijudicat, sed quatenus est pars corporis animati oculi, auris, linguz, quod etiam Zabarella probè observavit, *libr. de sens. ag. cap. X. & seqq.* Quibus difficultatem tollimus omnem.

V.

Sensile per spiritalem qualitatem percipitur.

§. 1. Innuimus hâc positione, quæ maximè controversa identidem ventilari solet, quamvis representationem, qualitatibus organo imprimendis aptam.

§. 2. Hinc omne Objectum, per sui speciem sentiri, cum plerisque senioribus Philosophis rectè concludimus; et si plures hoc ipsum exsurdet, & non ad cuiuslibet palatum esse videatur.

§. 3. In solidum negant Durandus, Porphyrius, Gabriel, Galenus, Occanus, ac omnes fermè Platonici, quos Combric, citant lib. 2. an. cap. 8. qu. 2. a. 1. Quibus tamen herbam nondum porrigitur, et si corroboratà suâ audaciâ, argumentorum tela, minus tamen nobis exitialia opponant; quæ in presentiarum, propter pagellarum angustiam, infringere prohibemur, assertionem brevissimis stabiliendam aggressuri.

§. 4. Puerile sane opus non est querere, quidnam illud sit, quod sentimus. Est autem non res ipsa, non qualitas realis, sed spiritualis, seu species, reiq. imago: haudquaquam enim sensu rem percipi, illustrissimus refert Scaliger exerc. 298 s. 14. exere. 297. s. 4.

§. 5. Tædii effugiendi causâ, lubens transilio vulgariter distinctionem inter sensibile per se, & per accidens; item, inter proprium & commune, quam plenissimè tradit Aristot. lib. 2. de anim. cap. 6. t. 62. 63. quas videre est in omnibus penè Physicis.

§. 6. Quid

§. 6. Quid species sit, fortassis jam constat: nimirum representatio, *imago*, *simulacrum rei*; idem cum objecto, non materialiter & realiter, sed intentionaliter; ab hoc emanans, tenuis, purior, à materia concretione libera. Et licet vel ex parte objecti, ut in auditu & olfactu; vel ex parte organi, ut in tactu & gustu, naturalis videatur concurrere immutatio; tamen non secundum hanc, sed secundum intentionalem sensionem fieri, acutissime demonstras *Thomas de Aquin.* opusc. 43. cap. 3.

§. 7. Præterea, dari has ipsas species, experientia, necessitas, summorumque Virorum authoritas edocent. *Aristotel.* libr. 2. de anima, t. 51. 74. 121. 138. Item, libr. 3. t. 38. variè calculum suum addit; hinc inde etiam in libb. de Vigil. Mem. Phantaf. divinatione, idem tractat; & qui hoc ipsum negant, ab Aristotele se dissentire fatentur. Hujus authoritatem sequuntur, *Augustinus* libr. de Trinitat. cap. 27. *Thom.* pag. 1. quast. 12. 4. 2. & alibi. *Scotus* distinct. 3. quast. 7. *Tolet.* qu. 1. p. 33. de anima, lib. 2. *Suarez.* disp. 45. f. 3. *Scaliger.* exerc. 298. f. 140. *Sennertus.* *Horstius.* atq.

§. 8. Experientiam atque jacturam cape ab imaginum exaltatione; rerum geminatione, quæ clausis oculis obtingit; ex ejusdem coloris diversitate; aëris & aquæ umbræ; figuraione per speculum; insignibus ceræ, plumbo, glutini, orichalco impremis, aliisque fusis imagunculis.

§. 9. Rationes ducuntur, à multiplici harum specimen necessitate, respectu organi & objecti; medii, & modi sentiendi: quæ omnia si penitus explicarem, vereret, ne legentibus nauseam facerem.

§. 10. Unum est, quod nobis aliquid facessit negotii, omnis sensatio per speciem fiat, nec ne: Quod affirmamus, moti cùm necessitate, tūm plurimorum authoritate. *Scaliger.* exercitatione 297. sectione 4. subtilissime disputat, Species objecti sensus materiam, non quidem subjectam, sed objectivam, verè esse: Affirmat idem *Averroës* com. 97. & 101. in libr. 2. *Anima.* dicens: Omnia sensibilia spiritualiter agere. Sensus sine materia formas, hoc est, species sensiles suscipit,

Inquit Aristoteles lib. 2. de anima, cap. 12. text. 121. & hoc ipsum egregie demonstrat Toletus quæst. 33. in cunctis libris. Quodlibet sensorium sensibile, sine materia suscipit, ait iterum Aristoteles libr. 3. cap. 2.

S. 11. In visu vix dubitabitur de illa: ast in ceteris aquæ adesse, patet ex tactu; cui si non denegari potest, qui tamen maximè materiæ alias cohæret & immersetur, palam tandem nobis deferri laboravimus: de rationibus specierum tactilium consule Zabarellam libr. de sens. ag. cap. 4. Toletum, Averroëm, Horstium, Exerc. V. de anima, sens. 5. de opsis speciebus.

S. 12. Notabis insuper, 1. species unâ cum potentia, activè etiam ad sensationem concurrere. 2. Remotis sensibilibus cessare externorum sensuum species; cuius rei causas adstruunt Conimbric. libr. 2. de anima, cap. 6. quæst. 2. a. 3. Quo omnem penè difficultatem circa objectum determinamus. Maturamus nunc ad divisionem & species sensuum.

VII.

VOCE SENSUS & internos & externos complectimur.

S. 1. Divisio fluit ex duplîci animæ sensitivæ functione, quam superius thes. 4. §. 4. tertimus: nam sensio speciem recipiendo, & judicando peragit: eamque divisionem turcam esse, fuisse ostendit Scaliger. exerc. 197. s. 2. utpote quæ sit per id, quod intus & foris est. Primum enim sensus externus objectum, organo representatum, apprehendit; ac deinde interno censendum committit.

S. 2. Quum vero neutri extra munia atque vices vagari liceat, nec possint; nec etiam alteruter utrumque præstare poterit; externus immediatum; internus mediatum habet objectum. Relativè sibi quasi opponuntur; & habentes, ut arbiter & libelliones.

S. 3. Nequaquam tamen diversam animam constituant, quum tantum functionibus, & modo sentiendi, uti planum est, distinguantur, quod & Arist. docuit, l. 3. de an. c. 2.

VII. SENSUS

VII.

SENSUS EXTERNI sunt, qui imagines rerum, immediate sibi oblatas, exterioribus corporis partibus recipiunt, receptasque interioribus sensibus censendas transmittunt.

§. 1. Descriptio sumitur ab objecto proprio, instrumentis, modoque sentiendi; indigitatis munijs suis diversis.

§. 2. Ut autem melius intelligatur, notetur 1. *Nominis impositio*, ex parte objecti & organi tradita; quorum utrumque extrinsecus allabitur. Quibus tamen non excludimus nervos, istiusmodi membris intrinsecus sese offerentes; nec ipsum sensile, illi enim cum exterioribus partibus coincidunt. 2. *Nos nullatenus medium evertere*, quod ipsi met ad omnem sensationem requiri statuimus, propos. 2 §. 5. dicendo, externum sensum immediate objectum recipere; sed potius differentiz gratia verba ista apponi; utpote qui aliis tanquam emissarijs non indigent sensibus, nec aliis organis, quibus recipient objectum. 3. *Quemlibet sensum externum illæsis*, atque sui corporis sibi competentibus certis membris, species verè percipere. 4. *Functiones*, quarum duæ sunt, 1. Objectum apprehendere, 2. Interioribus cognoscendum tradere. Quæ una cum differentia ex præcedentibus dimanant. Requisita itidem 2. thes. generali adumbravimus.

VIII.

Sensus externi quinque sunt:
Visus. Auditus. Olfactus. Gustus.
Tactus.

§. 1. Longius non expatiabimur, fideliter informati ipso Philosopho, Præceptore communi, doctis rationibus hoc

ipsum comprobante, libr. 3. de anima, cap. 1. 2. Quæ divisio quinqueplex omnibus Commentatoribus Stagiriticis perplacet. Aver. Thom. Zabarell. Conimbric. imprimis Toleius lib. 3. de anima, cap. 1. quæst. 1.

§. 2. Quot enim sunt sensibilia propria, tot requiruntur externorum sensuum species, sed horum communiter quinque numerantur. Color, Sonus, Odor, Sapor, & cetera.

§. 3. Recipiendo actuantur sensus, quilibet autem sensus certam, sibiique similarem, & quasi convenientem depositum speciem; alias enim facile deciperetur, ut Excell. Horstius ex Thom. Aristot. Scalig. argumentatur Exerc. V. de Sensu quæst. 12. pag. 416. Pauciores hanc ob causam numerare non licet. Sextus aliquis si adderetur, frustraneus esset; Deus autem nihil in natura frustra condidit, ut ex Sacro Codice constat.

§. 4. Et quamvis argumenta Aristotelica nonnullis probabilia saltem videantur, hoc tamen nemo insciabitur, illos omnes ad salutem animalibus à Deo fuisse concessos; ijsque cum ad vitam, tum ad vitæ jucunditatem: quæ quinque exterioribus finiri potest.

§. 5. Illustrissimus Scaliger per quatuor causarum genera egregie demonstravit Exercit. 297. §. 2. 3. 4. quem volvere jubemus.

§. 6. Doctissimus D. Thomas 1. p. quæst. 78. a. 3. commodius dupli argumento, ab immutatione naturali ducto, hoc ipsum contestatus est. Quibus rationibus, quæ multum roboris habere videntur, cum eodem incederem, nisi verbis compendium facere studerem: potuerint tamen his de opinionibus, ac solidioribus rationibus legi Conimbricensium Collegium. in libr. 3. Aristotel. de anim. cap. 1. quæstione unicâ, articulo 2. paginâ 351.

I X.

VISUS est sensus exterior, beneficio oculi, per medium illustratum, colo-

coloris imaginem recipiens & cognoscens ; animalibus ad bene sui esse, concessus.

§. 1. Nullam in partem rixabimur de hujus vel istius sensus prioritate; principatum tamen, cui Deus & Natura detulisse videtur, nullatenus invidebimus. Eminentissimum in corpore situm sibi sortiuntur oculi : maximo, cum juvenez, tum senectuti ornamento sunt : In tenebrarum crabitie errantibus, vel ob hoc solum, terror incutitur, quia pupillarum ductricibus destituti, omnibus quasi luminis injuriis exponuntur : alias transeo rationes & causas, quas penè omnes Physiologi perstringere solent vulgares.

§. 2. Visu hinc meritò prærogativam tribuimus : ut potè qui procùl magis, qui plura, qui exquisitiùs, sub pluribus differentiis, divinius qui cognoscit ; eaque omnia uno eodemque momento præstare potest.

§. 3. Est autem Visus *sensus exterior*, objectum & organum magis exteriùs sibi exposcens. FINIS, vitæ communitates. Hinc tria in sensione visiva sunt observanda : Objectum, Organum, Medium.

§. 4. OBJECTUM quod attinet est *Color*, seu species, & *imago ejusdem*, Aristot. lib. 2. de anima, cap. 7. t. 167. Color enim est id, quod per se, propriè ac adzquate afficit oculos. Sennert. Physic. lib. 7. cap. 2 Subordinatur tamen Lux ; sub ipso colore, albedinis instar visa, Barthol. Phys. parte 5. de an. sens. cap. 3. thes. 7. Aristot. libr. de sensu & sensili, cap. 2. aly. Coloris verò naturam, in profundissima humanæ inscitiae caligine latenter, (ut Scaliger loquitur,) aliis investigandam relinquimus. Est tamen qualitas in toto subjecto, suâ specie, quæ à luce educitur, aërem pingens, ad visionem efficiendam. Scal. Exerc. 325. s. 4. Hinc æquius in superficie existentem, quam superficiem ipsam esse, cum Keckermanno libr. 3. Physic. cap. 20. dijudicamus. Et est illud ipsum, quod determinat diaphanum; Idem Keckerman. & Sennertus libr. 7. Physic. cap. 2.

§. 5. MEDIUM inter Philosophos non admodum am-
bigitur, & est τὸ Αἴγαθος, perspicuum Aristot. lib. 2. de anima,
cap. 7. & 68. non suo tamen, sed alio illustratum lumine, Za-
barella libr. de vis. cap. 4. ubi recipiens materia; receptum
lumen verò, formæ nomen assequitur. Idem Zabarella. Est
autem tale Medium, aér, aqua, vitrum, polita cornua, linte-
ra, transparentia quævis: quæ, licet sint nonnihil colorata,
modò perspicuitate τὸ ὀρετὸν superent, eoque minus opaca
appareant. Et per hoc medium species coloris in sensorium
defertur.

§. 6. ORGANUM Visus oculus est, interioribus &
exterioribus partibus mirè compositus. Interiores nervi
sunt, & spiritus visorii; Exteriores pupillæ, sive oculi cen-
trum, aliis humor crystallinus dictus. Estque hic præci-
puum instrumentum, in quo, tanquam speculo, species co-
loratas fulgere videmus. Nervis verò anima pro sequestri-
bus & promis utitur, in cerebro conjunctim finitis. Scaliger.
Exercitat. 298. sect. 16.

§. 7. Maximè admirabilis est oculi structura, tot enim
ex membranulis constat, ut illarum infectiones præsentes
spectatores obstupeant. Finis & actus visus, omnibus his
salvis, ac benè congruentibus, revera sequitur.

X.

Forma visionis consistit in rece-
ptione specierum coloratarum, hu-
mori crystallino, per medium pelluci-
dum allatarum, quibus per nervos
opticos sensui communi delatis, visi-
ble cognoscitur.

§. 1. Perspectis requisitis ad modum visionis rite per-
gimus: qui Platonicos & Aristotelicos in hostile odium
rapit.

§. 2. Plato.

§ 2. Platonici in hac sunt opinione, Visionem fieri per extra-emissionem radiorum, & spiritus visorios in obiectum directos visibile percipere. Et licet ex neotericis Nollius illos defendere non dubitet, libr. Physic. 10. cap. 6. pag. 585. nobis tamen Aristotelis sententia cum recentioribus melior videtur, cui Scaliger suffragatur Exerc. 298 sect. 16. Innitimus autem fundamento sequenti.

§ 3. Visus est sensus exterior, adeoque vere actio, vereque passio ipsi competit; ut demonstravimus thes. 4. § 4. 5. Quæ actio vero, cum sit immanens, existens per emanationem, extra sensorium tendere non potest: Pati vero non posset, nisi reciperet speciem visibilem in oculo. Secus etiam visionis fructus in rebus visis, non in vidente esset, quam absurditatem Sennertus infringit, libr. Physicor. 7. cap. 2. Alias corpus radiorum emissione continuâ debilitaretur; atque excellens sensile, vel visile tale non laderet. In utramque partem plures collegit rationes Iohan. Magirus ex Conimbricensibus, Zabarella, aliisque, in suo Com. in Physic. libr. 6. cap. 6. Progrediemur ad Auditum.

X I.

AUDITUS est sensus exterior, beneficio auris, imaginem soni, per medium resonabile recipiens & cognoscens; ad vitæ commodum animalibus destinatus.

§. 1. Secundas partes adjudicamus Auditui, qui cum visu de nobilitate certare videtur; sed facile cedet, propter seniorii subtilitatem, atq; apprehendendi velocitatem, minus sibi competentem. Præstat tamen ceteris, cum ob artium & regiminis faciliorem perceptionem: tum propter societatem, potissimum vitæ vinculum. Cicer. offic. libr. 1.

§. 2. OBIECTUM Auditus commune est tñ dñs sñr, audibile; generalia vero, Sonus, & Vox. Hæc ab animalibus respi-

spirantibus , ille ab inanimatis excitatur. Analogie tamen aliis aliter nonnunquam tribuuntur.

S. 4. SONUS est ex aëris & aqua concussione , fractione & adstrictione . Tribus autem potissimum modis sonus fit : collisione , ut tinnitus ; disruptione , ut strepitus ; attritione , ut quivis clangor Musicus ; vel per inflationem , ut in tuba : vel attractionem , ut in hydraulicis instrumentis , latissime tamen sumptis hisce vocabulis , propter aliorum defectum

S. 5. VOX est sonus animalis , ex percussione aëris , è pulmonibus respirati , ad laryngam per instrumenta vocalia formans , oreq; prolatus . Est verò vel inarticulata , ut in brutis ; vel articulata , ut sermo in homine : & variat pro instrumentorum applicatione ; ne autem sensum destruat , non excedat .

S. 6. MEDIUM , perfectius aës est ; sed etiam aqua : nam & pisces in aquis audiunt , ut experientia testatur , & Scaliger Exerc. 61. sett. 4. Vtrumque verò non per se , sed certo modo affectum ; aliis etiam ignis , sed minus apparentè . Keckermannus libr. 3. cap. 21. Imò etiam murus & paries , sed secundariò ac impropriè . Barthol. Physic. libr. de anima , cap. 3. hinc quid purius , eò melius sonus percipitur , Plutarchus libr. 8. questione 3.

S. 7. INSTRUMENTUM est tota auris : facta prominula , ne sonus prætervolando aberret ; intrinsecè labyrinthi instar se habet , ne sonus copiosè , & affatim subituś irruens sensum lœdat ; ac ne statim extravagari ; sed diutius remanere cogatur . Separatim sumitur pro certis officiis , & superintendit membranulis , tympanum repræsentantibus ; ac nervis potissimum , sonum ad communem sensum deferentibus .

S. 8. Si MODUM AUDIENDI velimus habere perspetuum , attendamus ad tria concurrentia corpora ; quorum unum affigitur , aës seu aqua : duo colliduntur . Quibus præsentibus ac impetuosè concussis , sonus eliditur : Qui per spatia circum - gyratus , ab aurium meatibus , vel potius tympano recipitur , receptus à nervis , mediantibus spiritalibus , intentionaliter internis sensibus , cognoscendi causâ , committitur .

§. 9. Quod si hæc omnia salva fuerint, nulloque modo affecta, vel male disposita, auditio rectè perficitur.

XII.

ECHO est reciprocatio soni, reflexi ob læve, concavum, aliudque obstans corpus; orta ex aëris refractione.

§. 1. Dicitur græcè Echo, ΉχΩ, sonus reciprocus, quasi resonantia: Homero παλιμπλαγχεῖ, iterata percussio. Reciprocatione enim aëris sonus geminatur; imd nonnunquam sapius ac iterum reflectitur.

§. 2. Generatur ex prioris soni reflexa specie, ad nos deveniente; ut demonstrat Sennertus *Phyiscor. libr. 7. cap. 3.* Neque planè hic cum priori sono idem, quod Avicenna statuit; sed ab illo numero diversus est. *Toletus in libr. 2. anima. quæst. 33. p. 94.*

§. 3. Reflectitur sonus, quia corpus obstat, in quo impingit, sed penetrare non potest; cum illo non sit validior. *Scaliger. Exercitat. XI. sect. 1.* Vbi ubi autem vox, vel sonus est, ad reflexionem tendit, licet non semper appareat, & ad certa obstacula tantum manifestetur.

§. 4. Priora syllabæ in resonantia, propter itionis & reditionis languidulam debilitatem, absorbentur.

XIII.

ODORATUS est sensus exterior, beneficio nasi, speciem odoris, per certa media recipiens, & cognoscens; animalium saluti accommodatus.

§. 1. Perinde nobis erit, si quis tactum & gustum odoratui præponat: nos ductum Philosophi sequimur.

§. 2. **OBIECTUM** odore est; isque non reatis, sed spiritu calis ad communem defertur sensum; licet interdum aliquid materiarum adfluat, & fumida aliqua exhalatio ad nares usque, nonnunquam pertingat. Illud enim si esset, substantia per se sensu perciperetur; prout fumidum semper ascenderet; & in aquis, cuius affluentia & frigiditas, ipsi praesentissima, odorem destruit, percipi non posset; quod contra omnem experientiam fluere.

§. 3. Hinc cum Sennerto, Scaligero, Conimb. Thoma, Toletio, Horstio, aliisque senioribus Philosophis, rectius concludimus. Odor est qualitas, ex sicco, sapido & humido, a calore temperato, orta in mistis, secundum exhalationem nonnunquam in spatio & prope sensorium existens, verè tamen intentionaliter sensuum judicem afficiens.

§. 4. **ORGANUM** totale nasus est; prominens, ut odorem eò facilius praesentem percipiat. *Sagittar. Physic. 8. cap. 13.* Externum, os cribrosum, quo odor purgatur, & quasi percolatur, meninx, processus mammillares, odorum veluti exploratores. Internum vero nervi & spiritus olfactorii.

§. 5. **MEDIUM**, idque pricipuum aer est, cum intrinsecus, tum extrinsecus: majori siccitate & caliditate, quam humiditate affectus: his enim superatus facilè languescit, atque penitus destruitur. Sed etiam aqua; quod ex animalium aquatilium odoratu persuasissimum est. *Aristotel. Histor. animal. libr. 4. cap. 8.*

§. 6. **SUBIECTUM** odoris mistum est: simplex enim non olet.

§. 7. **FINIS** odoratus est salus animalium. Brutorum receptionis concessus perfectior; ut eò melius in operosis saltibus, sylvis, latibulis catulos reperi; & canes sagaciores Domino suo venari possint: imprimis autem omnibus bruto, ad pastus sui discretionem a Deo & natura ordinatus: *Plura Keckerman. Physic. 3. cap. 24.* Hominis vero præter alimentorum dijudicationem, ad medicamentorum explorationem, cerebri confortationem, spirituum refocillationem, hilaritatem, aliasque ob causas, quas, *Keckermannus citat.*

locu*s* fusi*s* collegi*s* videtur. Hinc respectu differentiarum ususque dijudicationis, homini*s* odoratu*m*erito pr*a*stantissimus censem*s*. Horstius, Sennertus, Bartholinus, alii.

§. 8. Omnibus his commode dispositis, modus odo*r*andi sic se habebit. Odor in a*er*em, è mistis sparsis, deve*n*it ad nasum, qui eundem apud se non nihil pr*ä*paratum, per os cribrosum, mammillaribus processibus communicat, ubi receptus, à nervis excipitur, hinc per spiritus intentionaliter seu spiritualiter sensui, tanquam Arbitro commun*i*, defertur.

XIV.

GUSTUS est sensus exterior, operà linguæ, mediante ejus tuniculâ & salivâ, saporis speciem percipiens; omnibus animalibus ad sui esse necessarius.

§. 1. Quamvis non omnino nulla inter Gustum & Tactum intercedat convenientia; siquidem omnis gustus tactum presupponit, ac sine eo fieri nequit, quod etiam annuit Aristoteles libr. 2. de anima, text. 101. Nequaquam tamen eandem sensus speciem constituunt, quum ea, quæ simul & conjuncta sunt, non quoque sint eadem; Horst. Exercit. VII. de anima, libr. 2. quast. 7. Differunt præterea objecto, medio, organo, modo sentiendi; quod egregie demonstraverunt Sagittarius Physic. libr. 8. cap. 10. & Clarissimus Sennertus Physicor. libr. 7. cap. 5.

§. 2. OBJECTUM, sapor est, qui est misti qualitas, à siccо terrestri, & humido aquo*e*, per calorem generata; ex Horstio Exerc. VII. de anima, §. 7. Hinc quis objiciat, gustatum corrugatione acerbitatem, salsedinem abstersione, ac propterea realem qualitatem percipere, sed nihil ad rem, cum illud ipsum fluat ex reali contactu, quem sapores conjunctum habent. Hoc certissimum est, quemadmodum in ceteris sen-

sibis obvenit, sic etiam sapor spiritualiter à nervis gustatoriis, per spiritus sensu communis ad judicandum defertur. *Kekermannus* libr. 3. *Physic.* cap. 23. pag. 514.

§. 3. MEDIUM, idem *Keckermann.* eodem loco, extrinsecum, nec incommodè, quod alias ab omnibus ferè negatur, constituit *salivam*; Internum tamen, omnibus consentientibus, *tuniculam porosam*, fungosam lingua carnem undique ambientem.

§. 4. ORGANUM totale lingua est, imprimis verò ejusdem caro spongiosa humefacta. Hinc ratio apparet, cur in lingua cuspide sapores percipiuntur exquisitiùs, dum nimis illa parte lingua caro porosior atque mollior sit.

§. 5. FINIS est vita conservatio, alimentorum receptione nutrita, & sustentata. *Plura Kecker.* citatā paginā.

§. 6. Modus gustandi hic est. Sapores lingua recepti salivali, specie & imagine in spiritu animali efformata, ad sensum interiorem deferuntur, ibidemque dijudicantur.

XV.

TACTUS est sensus exterior, omnes tactilium qualitatum species, mediante membranā recipiens, atque cognoscens; ad esse animalis summè necessarius.

§. 1. Properamus ad communissimum sensum, TACTUM; qui in toto animalis corpore diffusus est, quoque penitus extinto, ne ad momentum quidem superesse potest. Est autem hic ipse tactus, respectu communis sentiendi, sive apprehendendi modi, formaliter unus; non multiplex: objectorum differentiis nihil obstantibus. Accipimus autem vocem *Tactus*, non pro qualibet sensuum receptione, sed strictè, pro tactilium qualitatum apprehensione; Secus enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus, tactus essent dicendi. Quam distinctionem probè observant *Conimbr.* libr. 2. de anim. cap. 10. quæst. 2.

§. 2. Quid

§. 2. ORGANUM aliis caro, aliis nervi; propriè tamè membrana, & cutis ea, quæ est in vola manus. *Conim. in lib. 2. de an. quæst. 1. a. 1. Sennersus Physic. libr. 7. cap. 6. Laurent. lib. 6. quæst. 1. Bauhin. Horstius aly.*

§. 3. MEDIUM potius nos latet, quàm in veram sententiam, propter Authorum dis. repantiam, deducat; est tamè internum, conjunctum cum organo; vel caro, huicque simile quid; vel cutis.

§. 4. OBIECTUM est τὸ ἄπλον, tactile, *Aristotel. libr. 2. de anima, text. 120.* Speciatim, tactiles qualitates omnes; primæ & secundæ: Calidum, frigidum, humidum, asperum, leve, &c.

§. 5. Quia autem realis qualitas ab interiori sensu non dijudicari potest, tactilium imaginem, non ipsas reales qualitates ad sensum communem, ut censeantur, deferri, cum Keckermanno rectè concludimus.

Quibus levitè perstrictis, pedem tandem figimus; & *Sensuum Externorum* præscriptis finibus terminos suos pangimus. Limitavimus veritatem; scrutati sumus OMNIPOTENTIS immensam Sapientiam: Gloriam ejusdem si tetigimus, benè atquè felicitè portum nos attigisse, meritò lætamur;

DEOQUE GRATIARUM VOTIVAM ARAM PIE ERIGIMUS.

•50•

Ad Praestantissimum Dominum
KRÆMERUM:
DE SENSIBUS EXTERIORIBUS
feliciter disputantem.

I.

Si benè quis sentit, sensus servabit ad usus
Fructus divinos Moribus ac Studiis.

Ergò MERCATOR mercaberis optima rerum,
Non græcā, verū justificante Fide:
Artes humanas, & Linguas, denique sancte
Scripturæ Studium; sicque beatus eris.

Johann-Ulricus Pregitzer, S.S. Theol.
Doct. & P. P.

I L.

Nobilis Inachida, claressima buccina fama
Laudibus aeternis nomen in astra tulit;
Sublimes quod se librare per aetheris auras
Ausus, inadsueto tramite fecit iter:
Devotamq; fero prolem Cepheida ceto
Asseruit vincis, asseruitq; necce:
Inde quod anguifera caput abscidit ense Medusa,
Efficiens hostes marmora dura suos.
Quis tua non parili studia indefessa Camæna
Tollat ad astriferi lucida texta pepli?
Tranare ingenij qui nunc talariibus axes,
Teq; altis gaudes insinuare polis.
Iam modo momento vehleris trans aquora parvo,
Quasq; fovet, lustras, humida Deris aquas.

E8

Et modo Natura vasta in penetralia Matris

Indolis alata remige vectus abis.

Sed nunc arte tuos perimus felicitèr hostes,

Et non lassata strenuitate domas.

Perge dein textam studij pertexere telam,

Sic tua Abantiada gloria major erit.

JOHAN-MARTINUS RAUSCHER.

III.

IN optimarum nundinis frequentibus

Scientiarum, & artium, te cautius,

Quàm cæteros, parâsse merces optimas,

Non putidas, non frivolas, pupas Cypri,

Immane vel Dionysii carchesium:

Hiante vel spectâsse pretiosas opes

Ore, Corydonis more, MERCATOR bone.

Quas expeditis merces, docent, GEILFUSIO.

Docentium Censore prudentissimo.

Sub hoc, & aliis perge mercari benè.

Ut commodes tuis bonis ecclesia,

Incuriâ quæ nunc eget nostratum,

Et omnis hostium generis injuriâ.

Ita gratulabatur

l. mq.

M. JOHANNES Mair/ P.P. Gymnasi. Illm.

IV.

FUGE KRAMERIADES fructus sentiscet odores!

Nam sitit egregias virtutes; sedulus audit

Doctos; atque bonos libros magis inspicit unquam:

Pergat hic, & poterit properatam attingere metam,

De laudes cumulare sibi, que sidera tangant.

Præst. Dn. Relp. amicè sic applaudit

SIGISMUNDUS - ADAMUS à Cloesen;

in Haydenburg/ LL. Stud.

Imp.

V.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Mercibus ut possit variis implere penates.
Nobilior te cura trahit KRÆMERE, Minervæ
Et Charitum MERCARIS opes, quas doctus Apollo,
Et quas Philosophæ melior stupet Ordo Coronæ.
Maëte animo JUVENIS, semper tua gloria crescat!
Ingenij monumenta tui de morte triumphant.

Fratri suo mellitissimo

I. mqz apposuit

J. J. Grammerus, Nürting.

Philos. Stud.

VI.

QVVM benè defendas, magnâ cum laude triumfans,
Quas, Mivorte Tuo, cudas, amice, theses:
Iure perennantes cingant tua tempora lauri:
DI faxint, precor, hic ut benè cedat honestus

Faustæ acclamationis

ergò

deproperabat

Daniel Hak, Nordlinga-Rhetus,
Philosophia Studiosus.

F I N I S.

